



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

Visio cuiusdam de schismate Romanae imperij, de calamitate dioecesis  
Coloniensis, de terra sancta, & aduentu Antichristi, cap. 31

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

**F**RATER Simon, cum esset in oratione ante altare sanctæ Dei genitricis Mariæ, audiuit vocem dicentem sibi: Mone pastorem tuum superiorem, & dic ei: Oues tuæ fundent sanguinem. Et præcipe ei ne semet, & eas interficiat veneno; nã & posuit cor suum in ventres luporum latè hiantium. Membra mea incipient commoueri à crudeli bestia, quæ homo facta est. Exi, & clama vndique magnam Dei omnipotentis offensam, & dic: Nisi conuertamini, & emendemini, occidemini, & in ignem æternum mittemini: inimici mei vindicabunt iniurias meas. Post hæc apparuerunt oues quinque pinguiissimæ, ac deinde boues tres macilentæ: de quibus cum quæreret quid significarent, responsum est: Quinque oues, anni sunt quinque magnæ abundantiæ, & boues tres, anni famis validæ. Et iterum: Falsi Romani excitabunt crudeles rumores, & iniquo consilio suo diuident potestatem Romanam. Et iterum: Ierusalem capietur, & destruetur, & inimici mei vindicabunt iram meam, quia polluerunt vias meas, in quibus ego ipse ambulauit: fame maxima arctabuntur; cœli & terra tremet, sed homo non vult tremere à crudeli bestia. Postea sol conuertetur in tenebras, deinde veniet dies habens longitudinem dierum duorum. Post obumbrationem autem solis scietur, quod crudelis bestia ostentabitur decem tribubus, quæ clausæ sunt: vnusquisque felix, scilicet meorum membrorum, sanguinem fundet. Idcirco vnusquisque felix præparet se, ita vt rectè viuat in hac breui vita. Post hæc frater Simon vidit dæmonem loricaum & galeatum, habentem squamas tanquam piscis, qui vocatur carpo; pupillæ oculorum eius retræ & ardentes, tanquam facula, quæ a vento agitur; de ore & naribus eius procedebat flamma sulphurea; dentes eius partim albi, partim sulphurei. Post hæc facta est vox: Post contenebrationem solis suscitabit crudelis bestia arte mala quosdam Iudæos tanquam à mortuis, qui tamen non erunt Iudæi, sed falsi nuntij, dicentes se a mortuis resurrexisse, veris Iudæis  
spem

*Romula-  
tio & pro-  
phetia Si-  
monis anno  
uacue.*

spem vanam promittentes, & in infidelitate sua, & in errore Iudæos fouentes, & multos decipientes. Et adiecit: O colonia Agrippina, deplora calamitates tuas, quæ venient tibi, quoniam non solum ex culpa solius Episcopi, sed etiam ex communi peccato, venient mala supradicta: veruntamen ipse Episcopus plurimum debet dolere, quoniam ipse omnibus alijs est prælatus. Hanc visionem conuentus noster missus super mon-

*Anno Domini 1187*  
*Frophe- tie inter- pretatio.*  
tem Stromberg, ibidem reperit. Eodem anno capta est Hierusalē & terra sancta, quod in eadem visione fuerat prædictū. APOLLON. Interpretationē huius visionis nosse desidero. Cæs. Partim mihi tractare videtur de his, quæ nostris temporibus contigerūt in Episcopatu Coloniensi, partim de aduentu Antichristi.

Quod autē facta sit hæc reuelatio in Episcopatu Coloniensi, & ad eiusdem diocesis Episcopum, ex sine eius colligo; sed quis fuerit idem Simō, penitus ignoro. Pastorem hunc superiorem, Adolphum Episcopū intelligo, qui post mortem Henrici Imperatoris quasi venale Imperium habens, veneno auaritiæ seipsum infecit, plurimosque interfecit; posuit enim cor suū, id est consilium suum, in ventres luporum, ad thesauros Richardi regis Angliæ, latē hiantium, quorum consilio Ottonem Saxonem, filiū sororis eius, in Regem Romanorum elegit. Ex tunc crudelis illa bestia, scilicet auaritia, facta est homo, id est, hominibus ita sociabilis & chara, vt eius zelo Christianæ potestates, à iustitia & fide motæ, negligērent iuramēta, periuria paruipēdentes. Missus est eodem tempore Cardinalis Coloniā, qui Ottonis electionem confirmaret, principēq; à iuramento, quod Frederico, qui nūc regnat, fecerant, absolueret; q̄ magis, vt rei exitus probauit, Imperij fuit diuisio, quā cōfirmatio. Ab illo tempore prouincię incēdijs vastatur, & ecclesię depredatur, sanguis multus effunditur, Adolphus deponitur, Colonia obsidetur. Tūc impleta est extrema pars huius visionis; O Colonia deplora calamitates tuas, &c. In principio episcopatus eiusdem Adolphi, cum præcessissent anni magnæ abundantia, tres fuerunt anni tāta ste-

ta sterilitatis, vt in primo anno modius filiginis venderetur marca argenti. Reliqua huius visionis nimis sunt obscura, nec patet meo intellectui. APOLLONIVS: Tempore diuisionis Romani Imperij, Dominus Innocentius Papa a multis iudicabatur, ita vt eum diceret eiusdem schismatis auctorem, primo patrem Ottonis nimis fouendo, postea eundem persequendo. CAESARIVS: Propter hoc, cum idem beatae memoriae Innocentius die quadam sermonem Romae aedificatorium faceret in populo, Ioanes Capotius, qui Ottoni fauebat, eius sermonem interrupit, dicens: Os tuum os Dei est, sed opera tua opera sunt diaboli. APOLLONIVS: Peto vt nunc reuertaris ad contritionem, a qua, occasione quondam verborum, satis digressum est. CAESARIVS: Tanta est virtus contritionis, vt nullum ei obstare possit peccatum, non periuria, non homicidia, non furta, nec usurae quidem.

## CAPVT XXXII.

**R**EVOLUIT mihi senex quidam sacerdos & monachus nigri ordinis, natione Saxo, rem memoria dignissimam de quodam usurio, nec constat mihi si scripta sit. Dixit quendam fuisse usurarium diuitem nimis, qui diuersarum ecclesiarum thesauros loto pignoris tenebat, cuius cum esset inexplibilis auaritia, percussus est peremptoria infirmitate. Tunc primum in se reuersus, licet seruo, considerare coepit pondus usurae, tormenta gehennae, difficultatem poenitentiae: & vocans ad se quendam nigri ordinis Abbatem sibi familiare, dixit ei: Domine, grauitur infirmior, non possum aliquid de rebus meis ordinare, neque usuras acceptas restituere; si volueritis de anima mea Deo reddere rationem, peccatorum meorum mihi promittere absolutionem, omnia bona mea, tam mobilia quam immobilia, potestati vestrae subiciam, ita vt de illis quod visum vobis fuerit faciatis. Cernens Abbas hominem contritum, & vere poenitentem, respondit: Ego deliberabo, festinansque ad Episcopum, verba usurarii ei exposuit, & quid consuleret inquisiuit: respondit Episcopus: Bonum mihi videtur, vt pro anima eius spondeas, & sub-

*Usurario  
rum con-  
uersiones*